

## Psalmus 145

Lauda, ánima mea, Dóminum; †  
 laudábo Dóminum in vita mea, \*  
 psallam Deo meo, quámdui fúero.  
 Nolíte confídere in princípibus, \*  
 in filiis hóminum, in quibus non est salus.

(Repetitur antiphona)

Exíbit spíritus eius et revertétur  
 in terram suam; \*  
 in illa die períbunt cogitatiónes eórum.  
 Beátus, cuius Deus Iacob est adiútor,  
 cuius spes in Dómino Deo suo,  
 qui fecit cælum et terram, \*  
 mare et ómnia, quæ in eis sunt;  
 qui custódit veritátem in sáeculum, †  
 facit iudícium opprèssis, \*  
 dat escam esuriéntibus.

(Repetitur antiphona)

Dóminus solvit compeditos, \*  
 Dóminus illúminat cæcos,  
 Dóminus érigit depréssos, \*  
 Dóminus díligit iustos,  
 Dóminus custódit ádvenas, †  
 pupillum et víduam sustentat \*  
 et viam peccatórum dispérdit.

(Repetitur antiphona)

Regnábit Dóminus in sáecula \*  
 Deus tuus, Sion,  
 in generatióem et generatióem.

(Repetitur antiphona)

Non dicitur Glória Patri. Psalmus tamen abrumpitur et repetitur antiphona, cum Episcopus et diaconi osculum Ordinatis dederunt.

213. Missa proseguitur more solito. Symbolum dicitur secundum rubricas; oratio universalis omittitur.

## Liturgia eucharistica

214. In Prece eucharistica mentio fit diaconorum modo ordinatorum secundum has formulas:

a) In Prece eucharistica I, Episcopus dicit Hanc igitur proprium: Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus étiam pro fámulis tuis, quos ad diaconátus Ordinem promovére dignátus es, quæsumus, Dómine, ut placátus accípias, et propítius in eis tua dona custódias, ut, quod divíno múnere consecúti sunt, divínis efféctibus exsequántur.  
 (Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

b) In intercessionibus Precis eucharisticæ II, post verba ... congregémur in unum dicitur: Recordáre, Dómine, Ecclésiæ tuæ toto orbe diffúsæ, ut eam in caritáte perfícias una cum Papa nostro N. et Epíscopo nostro N.; recordáre quoque istórum famulórum tuórum quos hódie mínistros Ecclésiæ providére voluísti, et univérsti cleri.  
 Meménto étiam fratrum nostrórum ...

c) In intercessionibus Precis eucharisticæ III, post verba ... ad totíus mundi pacem atque salútem dicitur: Ecclésiám tuam, peregrinántem in terra, in fide et caritáte firmáre dignéris cum fámulo tuo Papa nostro N. et Epíscopo nostro N., cum episcopáli Ordine et his fámulis tuis, qui hódie mínistri Ecclésiæ ordináti sunt, et univérso clero, et omni pópulo acquisitiónis tuæ.  
 Votis huius familiæ ...